Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# In psalmorum effectus et proprietates divina sequestratio

Athanasius <Alexandrinus, Heiliger>

[Augsburg], nach 20. Nov. 1500

urn:nbn:de:bsz:31-294524

Visual Library




BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

De 464.
AN 597 H 13991.
AN 598 0
AN 599 H+1903
AN 600 H 15[illegible]

Johanneß Michael
Nunnenmacher

Johanneß
Michaell ~~[illegible]~~
Nunnenn ~~[illegible]~~
Macher der ist daß buch diß
buch wer es im nimt der
ist ein dieb wer es im
wider gibt der ist ein
gotteß kindt Johanneß
Michael Nünnenmacher
1697.

Jacobi Locher Philomuſi Tetraſtichon ad lectorem

Cantica Cygneis plectris modulata prophete.
Pſalmorumque choros ſuccinit ille liber.
Effectus rerum proprios Arcanaque promit.
Non niſi chriſticolis rite legenda viris.

Dij bene vortant.

Magni Athanaſij Epiſcopi in pſalmoꝝ
effectus. ⁊ proprietates diuina ſequeſtratio.
ſub libelli Chryſoi. mira breuitate coagmen
tata. pſallētibus ſacerdotum choris oppido
ꝙ neceſſaria. e greco in latinū linguagium
traducta.

Jacobus Locher Philomuſus ſacre Theo
logie cultor Reuerēdo patri ⁊ dn̄o dn̄o Con
rado Abbati Cenobij Wiblingenſis. ordi
nis ſancti Benedicti dn̄o ſuo colendiſſimo.
Salutem dicit plurimā.

Cum nuper animū applicuiſſem ab aniliū fabularum
dulciſſima lepiditate ad ſeuerioris doctrine guſtuluz in
manus properiter ſumebā prophete eminentiſſimi pſal
mos concentu vocū ſuauiſſimo modulatos. vt tāꝙ e
fonte limpidiſſimo ſacratiſſime theoſophie aridas ani
mi venas perfunderē. Dulcis cū vox pſalmoꝝ eſt que
ſi corde puro ⁊ deſecatis ſenſibus intonat̄ facile olorinos
geſtus ſidiū canorā elegantiā cuncta inſtrumenta mu
ſica ſuperat. pſalmoꝝ liber melleus guſtu redolētiſſim⁹
lampabilis ⁊ nitore ſplendidiſſimus theologice profun
ditatis eſt ſpeculū luciđiſſimū. Crebra ineſt ſententiarū
grauitas ornatiſſima ſtillātiū verboꝝ compago melo
dia verſiculoꝝ iucundiſſima. qua chriſtianoꝝ celeberri
mus chorus oībus horis deū optimū maximū exaltat.
Cōuenit pſalmoꝝ cantilena cunctis tpibus nocte crepu
ſculaſcente pſalmoꝝ cōcrepat melos. nocte excubia ſur
gunt cantores. ⁊ dn̄m in ſyon cōmendāt. ad gallicinia
pſalmo canticū reſonāt. ad auroꝛe luteos colores carmē

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

matutinū cōcinūt dum phebus mediū lustrat diem: prophetia dauidis recolit̄ ⁊ vespa repetit̄. psalmoꝝ hec vis est vt turbidos ac estuātes aīos ad trāquillissimā vitaz declinēt. mouēt lachrymas in cordib⁹ durissimis p̄cant̄ deū p salute humana efficacib⁹ votis demones fugat hic cantus salutifer angelos in adiutoriū inuitat scutū est ī nocturnis terrorib⁹ diurnorūq̄ requies est laborū tutela pueris. iuuenib⁹ ornamentū solamē senibus. Sed quid pluscula v̄ba facio. tu te nosti sacratissimas laudes psalterij tu nosti p̄conia. que pater Augustin⁹, diuus Hieronym⁹, Hilari⁹, Cassiodorus. Nicola⁹ de lyra, ceteriq̄ neoterici scriptores in psalmoꝝ elegantiā ac luculentissimā cōsonātiā ꝑtulerūt. Accedit tn̄ magnus Athanasi⁹ grece lingue cultissim⁹ Alexandrin⁹ quondā ep̄s ex reb⁹ actis ⁊ auctis megalios dict⁹ qui saluberrimā psalmoꝝ sequestrationē ꝯscripsit. Et hec fortassis diuino spiritu ⁊ ꝓpheticis oraculis ordinata psalterij cōcinnitas. ne tā sacroꝝ eloquioꝝ ꝑtātes ignorarent̄. Nunc Athanasiū latinū fecit Politian⁹ virtum grece cū latine lingue vnideciūq̄ politissim⁹ seculo Pliniano cōparādus. quē ego amore fidei ⁊ theologie ductus cōicare statui lectoribus beniuolis opꝑꝑciū factur⁹ si aureus ille libellus valde vtibilis gratas vigilias sacerdotib⁹ pareret. Bene nobiscū ageret̄ si istis canticis ⁊ mellitulis orationib⁹ indulgeremus quo de⁹ clemētior in petōres foret. Sed proh pudor quidā moralē theologiā ⁊ dauiticam negligētes nimis magnū studiū in res obscuras garrulas inutiles ⁊ ecclesie parū necessarias conferunt. loquacitate chrysippea ⁊ elenchis cuncta sacri eloquij dogmata cōspurcātes. Tu libens aūt hoc munusculū accipe qd̄ sub noīe paternitatis tue spectatissime emisim⁹ propediē maiora hui⁹ generis imbuta mūera accepturus es, Vale ex Ingolstadio xij. calendas Decembris.

## Athanaſius ad Marcellinum ſuum pſalmorum titulos fauſte dedicat.

Omnis quidē ſcriptura diuina magiſtra eſt ⁊
virtutis ⁊ vere fidei. ſed liber pſalmorū habet
etiā quodāmodo imaginē ſtatus aīarū. vt em̄
qui adit regē prius ipſe habitū verbaqꝫ cōponit. ne forte
imperitus habeat̄. Sic diuinꝰ hic liber currentes ad vir
tutē ⁊ eos qui vitā ſaluatoris in corꝑe cognoſcere geſtiūt
admonet priꝰ ꝑ lectionē motionū omniū quibꝰ aīa affi
cit̄. Deinde varijs format inſtruitqꝫ ſermonibꝰ. Poteſt
igit̄ vnuſquiſqꝫ in pſalmis motū ſtatūqꝫ aīe ſue dep̄hē
dere atqꝫ ita figurā quiſqꝫ diſciplināqꝫ ſuā quibuſqꝫ ver
bis placare deo poſſit. Et quibꝰ verbis ſeſe corrigere va
leat ⁊ deo agere gratias. Ne ſi preterqꝫ fas eſt dicat. inci
dat in impietatē. Nō ſolū em̄ de opibus. ſed de oī ocioſo
verbo reddenda apud iudicem ratio eſt.

¶ Si igit̄ beatū aliquē dicere velis habes quōmodo ⁊ qꝫ
ob rem ⁊ quem dicas in pſalmis. j. Beatꝰ vir qui nō abijt
xxxj. Beati quoꝝ remiſſe ſunt. xl. Beatus qui intelligit
ſuꝑ egenū. cxj. Beatus vir qui timet dn̄m. cxxvij. Beati
omnes qui timent dn̄m.

¶ Si cōqueri iudeoꝝ cōtra ſaluatorē inſidias habes. ij.
Quare fremuerunt gentes.

¶ Si te tui ꝑſequunt̄ ⁊ multi inſurgūt aduerſum te. iij.
pſalmū dicas. Dn̄e quid multiplicati ſunt.

¶ Si aūt ad hunc modū tribulatꝰ inuocaſti dn̄m ⁊ qm̄
exaudiuit agere vis gratias. Canito. iiij. Cū inuocarē.
⁊. cxiiij. Dilexi quoniā exaudiet dn̄s.

¶ Si vides inſidias tibi a malignantibꝰ fieri ⁊ auribus
ꝑcipi cupis orationē tuam. Canito pſalmū. v. Verba
mea auribus percipe.

¶ Si minas dei ſentis ⁊ inde territū te vides. dicere potes
pſalmū. vj. Dn̄e ne in furore. ⁊. xxxvij. Dn̄e ne in furore
⁊c. Quoniam ſagitte tue.
¶ Si aūt conſiliū ineunt aliqui contra te quēadmoduꝫ
Architophel contra Dauid. ⁊ hoc aliquis tibi nunciet.
Cane. vij. Dn̄e deus meꝰ in te ſperaui. ⁊ confide in deo.
¶ Cernens aūt grām ſaluatoris circūquaqꝫ diffuſam. ⁊
reſtitutū ſaluti genus humanū. Si alloqui dn̄m vis.
Cane. viij. pſalmū. Dn̄e dn̄s noſter q̄ꝫ admirabile eſt.
¶ Si rurſus canere vis ꝑ torcularibꝰ deo grās agens ha
bes. viij. Dn̄e dn̄s nr̄. ⁊. lxxx. Exultate deo ſalutari no.
¶ Si cohercери inimicū vis ⁊ creaturā ſaluari. non con
fidens in teipſo. ſed in dei filio. dic. ix. pſalmū. Confite
bor tibi dn̄e in toto corde meo.
¶ Si quis metu afficere. tu confidens in domino. Cane
x. In dn̄o confido quomodo dicitis aīe mee.
¶ Si multoꝝ ſuperbiā ⁊ maliciā habundare vides. ita
vt nihil ſit inter hoīes ſanctū. Confuge tu ad dn̄m ⁊ dic
xj. pſalmū. Saluū me fac dn̄e.
¶ Si diutius perſeuerent aduerſarioꝝ inſidie. ne teipm̄
negligas. quaſi tui dn̄s ſit oblitꝰ. ſed inuoca dn̄m canēs.
xxvj. pſalmū. Dn̄s illuminatio mea.
¶ Si quos audis blaſſemantes contra prouidentiam.
ne ſis tu quidem particeps eorū impietatis. ſed ad deum
confugiens dic. xij. Dixit inſipiens in. c. ſ. n. eſt deꝰ. Cor
rupti ſunt. ⁊. lij. Dixit inſipiens ⁊c.
¶ Si ſcire vis qualis eſt regni celoꝝ ciuis. Cane. xiiij.
Dn̄e quis habitabit in tabernaculo.
¶ Si tibi oratione opus eſt propter reſiſtētes tibi ⁊ circū
dātes aīam tuā. cane. xvj. Exaudi dn̄e iuſticiā meaꝫ. ⁊
lxxxv. Inclīa dn̄e aurē tuā. ⁊. lxxxviij. Miſericordias
dn̄i in eternū cantabo. ⁊. cxl. Dn̄e clamaui ad te cx. me.

¶ Si ſcire vis quo pacto Moyſes orabat habes. lxxxix. Dñe refugium factus es nobis.

¶ Si euaſiſti ab inimicis ⁊ liberatus es a perſequentibꝰ te. Cane tu quoqꝫ. xvij. Diligã te dñe fortitudo mea.

¶ Si miraris ordinẽ rerũ creaturarũ ⁊ diuine prouidentie gratiã. Cane. xviij. Celi enarrant gloriam dei ⁊c. ⁊ xxvij. Ad te dñe clamabo.

¶ Si tribulatos vides conſolare eos ⁊ pro eis orans dic verba pſalmi. xix. Exaudiat te dñs in die tribulatiõis.

¶ Si te cuſtodiri a dño vides ⁊ proſpere agere. gaudens cane pſalmũ. xxij. Dñs regit me.

¶ Si cõtra te irruunt inimici eleua animũ ad deũ ⁊ dic xxiiij. Ad te leuaui aĩam meã ⁊c. Et fruſtra eos inique agentes videbis.

¶ Si pſeuerauerint inimici ⁊ ſanguinolentis manibus abſtrahere vel occidere te querũt. ne des homini iudiciũ. ſuſpecta enim ſunt humana oĩa. ſed deũ iudicẽ poſtulãs ipſe enim ſolus iudex eſt. ⁊ dic. xxv. Judica me dñe qm̃ ego in. xxxiiij. Judica dñe nocentes me. ⁊. xlij. Judica me deus ⁊ diſcerne cauſam meã.

¶ Si aũt ſeuius inſtent ⁊ multitudo inſtar caſtroꝝ ſint inimici. deſpicientes quaſi ne vnctũs quidẽ ſis. nihil formidans cane. xlvj. Omnes gentes plaudite manibus.

¶ Si rurſus impudentes ſint qui inſidiantᷣ minime illos curans. cane ad dñm que ſunt in pſal. xlvij. Magnus dñs ⁊ laudabilis nimis.

¶ Si ſcire vis quomodo gratias acturus accedere ad deum debes intelligibiliter intelliges cane. xlviij. Audite hec omnes gentes.

¶ Deinde renouans domũ tuã ⁊ aĩam que dñm ſuſcipit ⁊ ſenſibilẽ domũ in qua corporaliter habitas. age grãs ⁊ dic. xlix. Deus deoꝝ dñs locutus eſt ⁊c. cxxvj. Niſi dominus

minus edificauerit.
¶ Si te odio haberi propter veritatē ab amicis ⁊ propin quis vides ne remitte ſtudiū neue aduerſantes extimeſce ſed futura cogitans cane. xxx. In te dn̄e ſperaui.
¶ Si baptizatos vides a corruptibili generatione libera tos diuinā benignitatem admirans. cane. xxxj. Beati quorum remiſſe ſunt iniquitates.
¶ Si canere vis inter multos iuſtos viros ⁊ recte viuē tes colliges cane. xxxij. Exultate iuſti in dn̄o.
¶ Si incidiſti in hoſtes ⁊ eos prudenter euitaſti atq; in ſidias effugiſti. ⁊ ob id agere vis gratias cōuoca mites homines ⁊ cū eis cane pſal. xxxiij. Benedicam dominū in omni tempore.
¶ Si vides iniquos in malū certare ne putes ſcd̄m na turā eſſe in illis peccatū quemadmodū heretici quidam ſed dic. xxxv. pſal. Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemet ipſo non eſt timor dei ante oculos eius ⁊ videbis ꝙ ipſi met peccandi cauſa ſunt.
¶ Si malos iniqua agentes cernis ⁊ cōtra paruos ſup bientes ⁊ admonere vis aliquos ne iſtos attendant aut emulent̄ qm̄ cito extinguentur dic ⁊ tibi ⁊ alijs. xxxvj. Noli emulari in malignantibus.
¶ Si ſtatuiſti tui habere curā ⁊ vides inſidiantē aduerſa riū maxīe eū cōtra tales excitat̄ ac vis temet in cū para re. cane. xxxviij. Dixi cuſtodiā vias meas.
¶ Si multos vides paupes ⁊ mendicos ac miſereri vis potes ⁊ eos qui iā ſunt miſeri pbare ⁊ alios vt idē agant hortari dicēs. xl. Beat⁹ qui intelligit ſup egenū ⁊ pau.
¶ Si deſideriū habes erga deū inimicos audis exprobrā tes ne pturberis ſed intelligēs īmortalē fructū qui ex hoc deſiderio naſcit̄. cōſolare aīam tuā ſpe erga deū et hac re laxans mitigāſq; vite dolores dic. xlj. pſal. Quēadmo-

dum deſiderat ceruus ad fontes aquarum.
¶ Si recordari frequenter vis beneficia dei que patribus
fecit. et in exitu de egypto et in deſerto. et quomodo deus
quidem bonꝰ ipſi aūt ingrati. habes. xliij. Deus auribus
noſtris. Item. lxxvij. Attendite popule meꝰ. lxxxviij.
Miſericordias dñi. cj. Dñe exaudi orationē meā et cla.
cv. Cōfitemini dño. q. b. q. in. ſ. mi. e. cvj. Confitemini
d. q. b. q. in. ſ. m. e. Dicāt qui. cxiij. In exitu iſ. de egypto
¶ Si cōfugiēs ad deū euaſiſti que aduerſus te dicta ſunt
⁊ gratias agere vis deo ⁊ narrare eius erga te benigni-
tatē. habes. xlv. Deꝰ noſter refugiū ⁊ virtus.
¶ Si peccaſti ⁊ rurſus penitētia afficeris ⁊ vis miſericor-
diā conſequi. habes cōfeſſionis verba in pſalmo. l. Miſe-
rere mei deus ſcd̄m magnam
¶ Si calūniā paſſus es apud malū regē ⁊ diabolū glo-
riantē ſecede ⁊ dic que ſunt in. lj. Quid gloriaris in mali.
¶ Si te ꝑſequunt̄ ⁊ calūniant̄ prodere volētes ſicut pha-
riſei ieſum ⁊ alienigene Dauid ne tedio marceſcas ſed cō-
fidēs in dño cane. liij. Deꝰ in noīe tuo ſaluū me fac. ⁊. lv.
Miſerere mei deus qm̄ conculcauit me homo.
¶ Si aūt cōcurrat ꝑſecutio ⁊ nō cognoſcēs in ſpeluncaꝫ
ingrediat̄ in qua tu abſconderis ne metue habes enimꝫ in
hac neceſſitate vtilia tuꝫ ad conſolandū tuꝫ ad memoriā
rei colendā verba in. lvj. Miſerere mei deꝰ miſerere mei
qm̄ in te cōfi. a. m. ⁊. cxlj. Voce mea ad dñm cla.
¶ Si obſeruari iuſſerit domū qui inſidiat̄ iuſſerit vt fu-
geris age grās deo ⁊ in tabulis aīe tue rem incidens. dic
lviij. Eripe me de inimicis meis deus meus.
¶ Si exprobrent inimici qui tribulant te ⁊ loquatius de-
trahant qui amici eſſe vident̄ ⁊ in exercitatione tua labo-
res aliquantulū potes inuocare tu quoqꝫ deū que ſunt in
iiij. pſalmo. Cū inuocarē exaudiſti me deus iuſti. mee.

¶Contra hypocritas ⁊ in facie gloriantes. dic ad cor tuꝫ
conuersionem. lvij. Si vere vtiqꝫ iusticiam loquimini
recte iudicate. f. h.
¶Si aspere irruant in te ⁊ capere aīam tuam velint op-
pone illis obiectionē tuam ad deū ⁊ bono aīo sis quo eñ
magis insenuint illi ea magis dño subijcient̄. dic auteꝫ
psal. lxj. Nonne deo subiecta erit aīa mea.
¶Si psecutionē fugiens in desertū cōcesseris ne metuas
quasi solus ibi sis sed habens deū ⁊ ad ipm diluculo sur-
gens cane. lxij. De⁹ de⁹ meus ad te de luce vigilo.
¶Si pterrefaciant inimici nec struere insidias desinant
⁊ oīa inquirūt aduersuꝫ te etiā si plurimi sint nec cesseris
Sagitte eñ paruuloꝝ erūt hoꝛū plage si cecineris. lxiij.
Exaudi de⁹ orationē meā cū depcoꝛ. ⁊. lxvij. Exurgat
de⁹ ⁊ dissi. ini. ei⁹ ⁊. f. qui. o. eum a. f. ci⁹. lxix. De⁹ in adiu
toꝛiū meū intende dñe ⁊c. ⁊. lxx. In te dñe speraui nō. c.
¶Si cancre deū vis habes. lxiiij. Te decet de⁹ hymn⁹.
¶Si quos imbuas resurrectiōis misterio habes. lxxix.
Qui regis israhel intende.
¶Si misericordias a deo petis cane psal. lxvj. Deus mi-
sereatur nostri ⁊ benedicat nobis.
¶Si vides impios in pace prosperari ne scādaliseris vt
cōmouearis. dic tu quoqꝫ. lxxij. Quam bonus israhel
de⁹ his qui recto sunt corde.
¶Si irascit̄ populo deus habes verba quibus hunc con-
soleris in. lxxiij. Vt quid deus repulisti.
¶Si cōfessione tibi opus est cane. lxx. In te dñe speraui
lxxiiij. Cōfitebunt̄ tibi deus. lxxxvj. Bonū est confiteri
dño in psal. ciiij. Cōfitemini dño ⁊ inuocate nomen ei⁹.
cv. Cōfitemini dño qm̄ bon⁹. cvij. Paratū coꝛ meū de⁹.
cx. Cōfiteboꝛ tibi dñe in toto coꝛde meo. cxvij. Confite-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

mini dño quoniam bonus. q. in. e. miſe. eius. ⁊. cxxxv.
Confitemini dño quoniã bonus qm̃ in. eter. miſe. eius. ⁊
cxxxvij. Confitebor tibi dñe in toto corde meo quoniã
audiſti verba oris mei.
¶ Si ſupare gentilẽ vis ⁊ hereticos vt apud quos dei co
gnitio nõ eſt potes intelligendo canere ⁊ dicere que ſunt
in pſal. lxxxv. Inclina dñe aurẽ tuã ⁊ exaudi me.
¶ Si occupauerint inimici effugia tua ⁊ magnopere tri
bulaueris quãq; perturberis ne deſpera ſed ora ⁊ ſi clamãs ex
auditus fueris age deo grãs dicẽs q̃ ſunt in pſal. lxxvi.
Voce mea ad dñm clamaui.
¶ Si pſeuerãtes inimici irruerint ⁊ polluerint domũ dei
ac ſanctos occiderint ⁊ eorum corpa volatilibus celi proie
cerint ne metuas illorum crudelitatem ſed compatiens
patientibus dic pſal. lxxviij. Deus venerunt gentes in
hereditatem.
¶ Si canere vis dño in celebritate conuocatis dei ſeruis
cane. lxxx. Exultate deo adiutori noſtro in. deo iacob.
⁊. lxxxxiiij. Venite exultemus domino iubilate deo ſa
lutari noſtro.
¶ Si rurſus inimici congregent̃ vndiq; ⁊ minentur do
mui dei cõſpirantes cõtra pietatẽ ne te multitudo ⁊ potẽ
tia eorum perturbet habes velut anchorã ſpei verba que ſunt
in. lxxxij. Deus quis ſimilis erit tibi ne taceas.
¶ Si vides domũ dei ⁊ eterna eius tabernacula ⁊ deſide
riũ habes ad illa ſicut habebat apoſtolus dic ⁊ tu. lxxxiij.
Quam dilecta tabernacula tua
¶ Si ceſſauerit ira ⁊ ſoluta captiuitas fuerit habes qui
bus gratias deo agas. lxxxiiij. Benedixiſti dñe terram
tuam. ⁊. cxv. Credidi propter quod locutus ſum.
¶ Si diſcordiaz catholice eccleſie aduerſus ſciſmata co
gnoſcere vis ⁊ illos conuertere potes dicere que ſunt in

pſal.lxxxvj. Fundamenta eius in montibus ſanctis.
¶ Si exhortari teipſum vis ⁊ alios ad religionē ac per-
ſuadere ꝙ ſpes in deum non confidunt ſed intrepidam
reddit animam lauda deum dicens que ſunt in pſalmo
lxxxx. Qui habitat in adiutorio altiſſimi.
¶ Si canere vis ſabbato habes.lxxxxj. Bonū eſt confi
teri dño ⁊ pſallere nomini tuo altiſſime
¶ Si gratias agere vis dñico die habes.xiij. Dixit inſi-
piens in corde ſuo non eſt deus
¶ Si canere vis in ſecunda ſabbati habes que ſunt in
lxxxxiiij. Venite exultemus dño
¶ Si canere vis paraſceue habes laudationē in.lxxxxij
Dñs regnauit decorem indutus eſt. Tunc enim dom⁹
edificata eſt quāuis circūire conati ſunt hoſtes. Atqꝫ deo
triūphale carmen canendum eſt ipſi deo.
¶ Si captiuitas fuerit ac vaſtata domus rurſuſqꝫ edifi
cata cane que ſunt in.lxxxxv. Cantate domino canti-
cum nouum.
¶ Si vexata fuerit terra ab hoſtibus ⁊ deinde quieſcat re
gnante domino habes quem canas.lxxxxvj. Domin⁹
regnauit exultet terra
¶ Si vis quarta ſabbati canere habes.lxxxxiij. Deus
vltionum dñs deus vltionum. Tunc enim traditus vl-
ciſci mortem cepit ⁊ de ea triumphare quomodo igitur
euangeliū legens videris iudeos conſilium ineuntes ad
uerſus dñm ⁊ ipſum audacter ſtare pro nobis aduerſus
diabolum cane que ſunt in.lxxxxiij. vt dictum eſt.
¶ Si vides prouidentiā domini in omnia ⁊ dominium
ipſius ⁊ vis imbuere aliquos ipſius fide ⁊ obedientia cū
perſuaſeris prius vt confiteant̄ cane.lxxxxviiij. Iubi-
late deo omnis terra.

¶Si ptātez iudicandi in eo cognoſcis ⁊ ꝗ miſericoꝛdie iudiciū admiſcens iudicat de⁹ atq̧ accedere ad ipſuz vis habes ad hoc verba.c.pſalmi. Miſericoꝛdiaz ⁊ iudiciū cantabo tibi.d.

¶Si ꝓpter imbecillitatē nature noſtre aſſiduis vite ma lis aliqn̄ ceu medicus tedio afficeris ⁊ cōſolari te vis ha bes pſal.cj.Domine exaudi orationem meam ⁊ clamoꝛ meus ad te veniat.

¶Et qm̄ conuenit ſemꝑ ⁊ in oībus agere deo gratias qn̄ ipſi benedicere vis habes quo tuaz aīam adhorteris.cij. Benedic aīa mea dn̄o ⁊ oīa que intra me ſunt noī ſancto eius.⁊.ciij.Benedic anima mea domino do.d.m.mag. es vehementer.

¶Si laudare vis deū ⁊ ſcire quō ob aliqd̄ opoꝛtet lauda re.⁊ que verba dicere laudās debet.habes.cxij. Laudate pueri dn̄m.l.n.d.cxvj.Laudate.d.o.gen.l.e.o.p.cxlv. Lauda aīa mea dn̄m.l.d.in.v.m.pſal.d.m. quā diu.f. cxxxij.Ecce q̄ȝ bonū.cxlvj.Laudate dn̄m qm̄ bon⁹ eſt pſalmus.cxlvij. Lauda hieruſalē dn̄m.l.d.t.ſ.cxlviij. Laudate dn̄m de celis.cxlviiij.Cantate dn̄o canticū no uū.l.e.in.e.ſan. cl. Laudate dn̄m in ſanctis eius.l.e.in fir.vir.eius.

¶Si habes fidē quēadmodū dn̄s dixit ⁊ credis in his q̄ orans loqueris.dic.cv.Credidi ꝓpter qd̄ locut⁹ ſum.

¶Si te aſcendentē ſentis actionib⁹ ſic vt dicas his obli uiſcoꝛ aūt qui p̄cedunt contendo habes in vnoquoq̧ ꝓ ceſſu que dicas quindecim graduum cantica.

¶Si captiuat⁹ es alienis cogitationib⁹ ⁊ ſenſiſti te abdu ci ⁊ penituit deſine deinceps ⁊ manens vbi te peccantē de pꝛehēdiſti ſede ac luge quoq̧ quēadmodū fecit populus dicens que ſunt in.cxxxvj. Super flumina babilonis.

¶ Si temptationes putas eſſe tuī probationez. age poſt temptationes gratias deo dicens. cxxxviij. Domine probaſti me ⁊ cognouiſti me.

¶ Si teneris turſus ab inimicis ⁊ liberari vis. dic. cxxxviiij. Eripe me dn̄e ab hoīe malo.

¶ Si orare vis ⁊ deprecari. dic. v. Verba mea auribus pcipe dn̄e. cxl. Dn̄e clamaui ad te exaudi me. cxlj. Voce mea ad dn̄m clamaui. vo. m. ad do. d. cxlij. Domine exaudi orationē meā au. per. ob. cxlv. Lauda aīa mea dominum.

¶ Si inimicus tyrannus inſurrexerit aduerſus populū tu quoqꝫ ſicut Dauid Goliath ne timeas. ſed vna cum Dauid crede ⁊ canens dic. cxliij. Benedictus dn̄s de⁹ qui docet manus meas ad prelium.

¶ Si bonitatem dei ⁊ in te ⁊ in omnes recolis ⁊ benedicere deo vis. dic verba que Dauid dixit in. lxxxiiij. Benedixiſti dn̄e terram tuam.

¶ Si cantare vis dn̄o. habes quid dicas. lxxxxv. Cantate dn̄o canticū nouū quia mirabilia fecit.

¶ Si paruus forte in aliquo vſu anteponeris fratribus ne extollaris contra ipſos. ſed dans gloriā deo pſalle tu quoqꝫ. lj. Quid gloriaris in malicia qui potēs es iniquitate qui propxius deics. alias. cl. Laudate dominum in ſanctis eius.

¶ Si canere vis obedientiam habentez alleluia. habes. ciiij. Confitemini dn̄o ⁊ inuocate nomen eius. cv. Confitemini dn̄o qm̄ bo. q. in ſe. mi. eius. Quis loquet̄. p. d. cvj. Confitemini dn̄o. q. b. q. in ſe. mi. eius. Dicant nūc qui. ⁊. cx. Confitebor tibi dn̄e in toto corde. cxj. Beatus vir qui timet dn̄m in man. e. vo. ni. cxij. Laudate pueri dn̄m. l. n. d. cxiij. In exitu iſrael de egypto. cxiiij. Dilexi

quoniā exaūdiet dn̄s.cxv.Credidi ꝓpter qđ locutꝰ ſum cxvj.Laudate dn̄m oēs gentes.cxvij.Cōfitemini.d.q.b.q.in.m.e. Dicat nūc iſrahel.cxviij. Beati īmaculati.cxxviiij.Laudate nomen dn̄i.cxlv.Lauda aīa mea dominū.cxlvj.Laudate dn̄m quoniā bonus eſt pſalmus cxlvij. Lauda iheruſalem dn̄m.cxlviij. Laudate dn̄m de celis.cxlix.Cantate dn̄o canticum nouum laus eius in eccclesĭa ſanctorum.⁊.cl. Laudate dominum in ſanctis eius.

¶Si ſeorſum vis canere de ſaluatore habes de eo in quo nis pſalmo.Precipue vero habes.xlnij. Ad te dn̄e leuaui animam meam.cix. Dixit dn̄s domino meo ſede a dextris meis.

¶Indicantes ipſius ex parte legitimā generationē ⁊ corporalem eiꝰ p̄ſentiā.x.aūt.ſ. In dn̄o confido.⁊.lxviij.ſ. Saluum me fac deus.

¶Predicentes de diuina cruce.⁊ quantū pro nobis inſidiarū ſuſcepit.⁊ q̄ꝫ multū paſſus eſt.⁊.ij.Quare fremuerunt gentes.⁊.cxviij.Beati īmaculati.Significātes in deoꝝ inſidias ⁊ malignitatē ⁊ iude ſcharioti proditionē Item.xx. Domine in virtute tua.xlix. Deus deoꝝ dn̄s locutus eſt.lxxj.Oſtendentes regnū eius ⁊ iudicandi poteſtatē ⁊ eius p̄ſentiā in carne.xv.aūt.Conſerua me dn̄e quoniā ſperaui in te. Indicat eius in carne reſurrectionē glorioſam.xxiij. Domini eſt terra ⁊ plenitudo eius.⁊ xlvj. Omnes gentes plaudite manibus ⁊c. Nunciant eius in celum aſcenſum. lxxxvij. Dominus regnauit. lxxxxv.Cantate dn̄o canticū nouum cantate dn̄o omnis terra.lxxxxvij.Cantate dn̄o canticū nouū quia mirabilia fecit.lxxxxviij. Dn̄s regnauit iraſcanť populi.

Si leges ſpeculari poteris que dñs nobis beneficia per paſſionem contulit.

¶Finis Titulo℞ ⁊ proprietatum

## ¶Epilogus Philomuſi ad Clericos

Heus Clerice huc adſis te paucis volo per deum immortalem te atteſtor. vt ſedulo pſalmorum ſaluberrimam compoſitionem lectites. In illis dies nocteſcꝫ conteras ex illis cantilenam deo gratiſſimam ⁊ muſicos concentus offeras. Si te oblectat teſtudinis chordas tangere. pſalterium ſume in manus vt iubilantis cordis leticiaꝫ in ſyon exerceas. quid enim pſalmorum fecundiſſimis ſenſibus. lampabilibus verbis. exquiſitiſſimis figuris. vberius. nitidius. felicius. quid pſalterio concordantius eſt. quid in dei ſacrificijs ac officijs eccleſiaſticis pſalmodia iucundius. omnem enim metricam ſuauitatē. omnem muſice dulcedinis alacritatem cantica pſalmi ſuperant. In pſalmis cantandis exultat ſpiritus. corda ſaliunt. membra corporis quodam geſtu mouentur decentiſſimo. veri moduli cantorum. legittimi motus ſtaticulonū. melodia decentiſſima choraulium. Meſochori ꝑcurſorie modulatiōes ſuauiter incepte audiunt̄. Quis me vetabit Dauida lyricū poetā ⁊ ꝑphetā veridicū aut pindaro. aut Alceo lyricorū principib⁹ anteponere. illi fabellas ⁊ amores. hic ſūmi dei laudes cecinit. Diſce clerice pſalmo℞ ꝓfunditatē. modulis iſtis exerce etatē. inter cātores te cōputa. quos rex dauid glorioſo deo inſtituerat. Idithū. Aſaph. Heman. ⁊ Ethan. precentores imitare

vt gratūs ſis ſuperis. ⁊ inter ſpirituales cantores meritū locum obtineas. Sunt quidā inter clericos qui pſalmorum lectionez negligunt. verba prophete fringutientes ſuffocant. ſine intellectu murmurant. ⁊ abſqꝫ deuotione diuini ſpiritus oracula cantilant. illoꝝ non erit glorioſa merces in celis. Lege frequēter clerice pſalmos. vt preces tuas exaudiat deus. Amen.

## Philomuſi ad deum Oratio.

O pater omnipotens rutilantis conditor arcis.
Da mihi fructiferas ſpes in amore tuo.
Da mihi ꝑſpicuos ſenſus. quis cernere poſſim
Phoebeos radios. aſtraqꝫ celſa poli.
Da mihi ſpurcidicas. ⁊ vani crimina mundi.
Vincere perlecebras. deliciaſqꝫ vagas.
In te ſpem poſui. noli deperdere vatem.
Qui tibi multiplici carmina voce canit.
Da precor effetis membris. animoqꝫ ſalutem
Da reſpiratus cum pietate lenes.
Vt tibi grata canam pſalmoꝝ cantica. que ſint
O pater ad nutū conglutinata tuum.
Si mereor vitam. da ſalui corporis annos.
Da victus modicos. ⁊ mediocre dectis.
Si placet vt moriar. tum preſens angelus adſit
Qui iuguler ſathanam. tartareoſqꝫ canes.
Atqꝫ animā ſuperis condonet ſedibus. o rex
Celorum. famuli nunc miſerere tui.

Deo gratias.

## ¶ Pſalmus Philomuſi ad deum vt ab aduerſarijs tuetur.

Domine deus meus redemptio hieruſalem. exaudi vo-
tum ſupplicationis mee. Aucupes ſathane pedicas mi-
hi locarunt. vt irritirent animam meam. Non datur
innocenti tutum refugium. vt bono careat ſolatio. Ad
te deus meus afflicta nunc anima. ſaltans querit confu-
gia. Tu nunq̃ in te ſperantes abigis. nec vota precantū
recludis. Tu noſti corda mortalium. in omnipotentia
tua ſpirantium. Tu magnus deus in ſyon. electi quoq̃
gloria populi. Libera famuluz tuum a perſequentibus.
⁊ a malorum gladijs rape me. Leones mihi ſubſtruxe-
runt foueam. vt vngulis diſceptus peream. In conſi-
liū vrſus cum panthera. abierunt vulpiſq̃ fera. Cum
phariſeis cōcordat ſcariothis. qui mihi iugulum inten-
tat mortis. Etſi merito iudicor iniquitate mea. ad te ta-
men curro ſaluatio mea. Latham apud zipheos tute.
trador tamen a maliuolis inique. Architofel conſilium
aduerſus me concepit. ⁊ animam ſuam ſuſpendit. Me-
lior mihi eſſet vita in cophinis. ⁊ deriuādis cloacis. Me-
lius eſſet mihi ſeruire aſſyrijs. ⁊ obtemperare chaldeis.
Aman poſuit crucem ante portam. ⁊ regis preuaricauit
ſortem. Mardocheum o rex hieruſalē dirige. de laqueo
qui tollat me. Noli predominari nequiciam peccatorū.
⁊ vaſramenta iniquorum. Sunt qui bonum loquunt̄
ore. ⁊ dirum venenum miſcent cum dolore. Iuſticie fo-
rinſecus ſunt vigilaces. intus aūt ſunt lupi rapaces. In
veſtimentis incedunt ouium. ⁊ morſus impingunt ſer-
pentum. Judica tu dn̄e cauſam meam. ⁊ pelle comunis
miſeriam. Tu vides renes ⁊ corda domine. iuſticiam

confer anime mee. In te ſperantes nuſq̃ʒ derelinquis. da
requiem meis inimicis. Da conſcientiam mentis ſanio
rem. ⁊ motuum tranquillitatẽ. Vt gladios vibrantes
recondant in thecam. ⁊ ſagittas abijciant. Quid eſt ꝙ
me crocodylis eſcatum. ⁊ draconibus mittis laniatum
Vt de lacu leonum eripuiſti Daniel. ⁊ ab inſidijs Eze-
chiel. Ab vlceribus Job idumeum. ab iniqua expoſtu-
latione Philomuſum. Ad te manus meas dñe eleuo. de
fende me ſabaoth cum gaudio. Cantabo tibi canticum
pſalmi. ⁊ hymniſando laudabo munera celi.

Alleluia

Paulus Retingerius Phi-
lomuſi amanuenſis

Ad fontem propera pſalmorum rore madentem
Melliſluo curſim religioſa cohors
Jam ſeruire deo cupias qui premia ſanctis
Confert chriſticolis pacificumqʒ thronum

Dij bene vortant

BLB BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg



BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg